

GIVS ^{a)}, licet CLVDIVS ^{b)} hanc comparationem plane ineptam dicat. Satis dure et minus recte ! Inepte quis diceret, qui par pari referre vellet. Eamque fere viam ingressos esse video non nullos, qui de iurisprudencia in formam artis redigenda cogitarunt, veluti ex superiori aevo NICOLAVM VIGELIVM ^{c)}, et ex hoc saeculo virum illustrem DANIELEM NETTELBLADT ^{d)}. Quod ne quis, velim, existimet esse ita a me dictum, quasi rationem eorum reprehendere animus mihi esset, qui in alium locum hanc tractationem reiecerunt. Nihil enim necessitatis haec res habet adiunctum. Mihi quidem hoc aptum visum est ideo, quia sequestratio solet a litigantibus fieri, et tendere imprimis ad litem. Quae ratio si minus cuiquam placebit, quemuis iubeo suo ingenio abundare, suaque, si qua melior forte et magis congrua videatur, ratione uti.

§. XIII.

MINVS RECTE SEQUESTRATIONEM AD RES LITIGIOSAS
TANTVM RESTRINGI.

EX iis, quae hucusque disputavi, quum docui sequestrationem generaliter definiri non posse contractum depositi, cogitur, genus, quod vulgo poni solet a doctoribus in sequestrationis definitione, non recte conuenire. Sequitur iam, vt de eo, quod proprium esse in vulgari definitione voluerunt, pauca differamus ^{a)}.

H 3

Dicunt

^{a)} in thesibus controuersis iuxta seriem *Digest. Decad. 58. thes. 8.*

^{b)} vbi saepius *c. 3. n. 12.*

^{c)} in *Digestis Iuris ciuil. Part. 1. L. 5. c. 9.*

^{d)} in *systemate elementari vniuers. iurisprud. positiuae commun. imper. Rom. germ. Tom. 3. P. 2. Lib. 1. Tit. 3.*

^{a)} Recte enim iam TVLLIVS has partes definitionum distinxit in *Orat. Partit.*